

Domine Deus meus, in te speravi;
salvum me fac ex omnibus persequentibus me et libera me.

Ne quando rapiat ut leo animam meam
discerpens, dum non est qui salvum faciat.

Domine Deus meus, si feci istud,
si est iníquitas in manibus meis.
Si réddidi retribuenti mihi mala
et exspoliavi inimicum meum dimittens inanem.

Persequatur inimicus animam meam et comprehendat+
et conculcet in terra vitam meam,*
et gloriam meam in pulverem deducat.
Exsurge, Domine, in ira tua+
et exaltare contra indignationem inimicorum meorum*
et exsurge, Deus meus, in iudicio, quod mandasti.